



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Personius secundo Romam, & quid in via contigerit, n. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1575.

Hæc Sodalitas sub Claudio Generali aliud nomē sortita est.

Virginis *Immaculatè* conceptæ præfesset, atque politioris literaturæ eximio testimonio annum clauderet septuagesimum octauum. Nam pari laude ingenij & eloquentiæ Tragediam (quam Nectar & Ambrosiam inscribit Pitzæus grauis auctor) coram Maximiliano Cæsare dedit; Et Mariam Cardonam Requiesnam (Mariæ Augustæ cubiculo præfectam) in corona nobilium funebri oratione copiosissimè laudauit: deinde verò Philosophis enodandis admotus est ad annum octogesimum quo vocatus est Romam. Atque hisce ex studiis persequendis (vt erat florenti ingenio) non mediocrem hauriebat voluptatem: Syluulentem tamen cum respectaret Germaniam horridamque opinionum monstris, quibus nulla industria obuiare, opprimere nulla potentia posset, miserrimæ patriæ suæ obuersabatur animo deploranda conditio, vt quæ vel iisdem, vel peioribus affligebatur erroribus, neque iisdem quibus Germania adiuuentis fulciretur. Ardorè animi dolor accendebat: sæpe in genua, sæpe in lachrymas effundebat se, Deo sæpe se victimâ mente atq; cogitatione deuuebat. Audièrat enim de Woodhufij cōstantia admiranda, quâ non ita pridè pro summi Pontificis auctoritate asserenda, se, vitam sanguinemque suum præclara morte consecratat. Audièrat cum vno eodémque die, atque eadem hora, in complures nobilium familias inquisitum est; raptati ab Altaribus Sacerdotes, sacra supellex direpta, Principes etiam feminae vna cum liberis famulisque in varios carceres distributæ; quo in mærore simul atque ardore mentis dum versatur, affertur Româ non paucos populares suos, atque ab Oxoniensi habitatione familiares, ruptis sæculi vinculis in eandem quam ipse adamarat Societatem cooptatos, *Robertum Personium, Guilielmum Westonum, Henricum Garnettum, Ioannem Lanum, Ægidium Valloppum*. Exiit is nuntius egrum mæstitia animum: Et primùm quidem Deo quas potest maximas agit grates, quod tantis nunc Angliæ malis spes aliqua affulgeret medicinæ; nam & istos & istorum exemplo complures alios certa Dei voluntate prouideri non dubitabat, fidei pietatisque ea in Insula ruinas sanatuos, vel quoquo modo refecturos: Tum verò eam quam conceperat lætitiâ per literas significans, tantum eis beneficium affectu quam potest ardentissimo adgratulatur.

Personius cur secundò profectus Romam.

XI. *Robertus Personius* Româ Patanium redux, librorum sat magnum apparatus compararat: Medicorum placitis indagandis non diu in hæsit. Inscederat enim animo spina quam alijs auelli medicamentis, alijs curari præceptionibus oportebat: Reperebat identidem cogitatione quid Louanij secretò destinasset, quid in publico egisset Romæ. Illic mente cælestia contemplatus, eò cursu tendere optimum iudicarat, quò nos Deus optimus maximus, quò nostra omnia, & singulari pietate fecisset, & omni iure vt spectarent deposcebat: Hic marmoribus, & cryptis, & columnis, & circis, & Amphitheatris pascens oculos, quid tandem in animû demississet? quin etiam sacro ritu cum perpurgare animum debuisset, & apertis diuinæ Indulgentiæ thesauris sinum aperire, spretâ quodammodo tantæ benignitatis largitate inania sectatus, Religionis in postremis habitæ reus sibi non mediocriter videbatur

Quæ

Quæ cum diurno tempore in studiis, in colloquiis, in negotiis, nocturno, 1579.
inter somni horas occurrant importunè, nullamque dant quietis partem, &
modò quidem seiunctam ab hominum consortio vitam inter Alpium iuga
agere, modò in Cænobium aliquod à conspectu serotum se abdere, modò
aliud & aliud vitæ genus, quò Deo & sibi faciat latis meditatur, neque alicubi
potest cogitationis pedem figere, Romam reuerti statuit, ut ubi neglecto eo quod
præcipuum erat, Deum seq; in se ipse commouisset, ibi se sibi & Deo redderet,
actum demum de vitæ ratione reliqua quid decernendum esset deliberaret.

XII. Contubernalibus utebatur *Luca Atestoe & Ioanne Lano*; his non
difficiliter suadet *Rome*, aut certè *Parme*, perficiendum sibi quidpiam esse quod
diurnam haud patiebatur dilationem: Itaque deducto Venetias, & aduer-
sum Eridanum conscendenti cum prospera omnia fuissent adprecari, *Ferra-*
riam venit: mox relicto nauigio iter reliquum Romam vsq; pedibus exoluit,
hoc interim tantulum pænarum de pristina sumpturus negligentia Non latuit
humani generis hostem, que illi præda clam de faucibus deduceretur, quemq;
vi aperta olim aggressus de statione depulisset, nè inter malos minus ipse malus
boni quidpiam moliretur, hunc nè melior factus ad optima conscendat, clan-
destinis consiliis conatur auertere. Iungit se viæ comitem lacernolus homun-
cio, vultu, habitu, voce ad commiserationem factus; nec grauatè eum admit-
tit hic noster Peregrinus: solatur stipe, victu, alloquio: Miseratio atque amæ-
nitas externi hominis, & à quo nihil metuendum videbatur, aditum faciunt
ad ea quæ intus in animo clauderentur aperienda: "Fueram, inquit, plurimis
annis Religiosi ordinis votis adstrictus, at nunc melioribus vsus consiliis, pro-
ripui me ab illa durissima seuitate, atq; in libertatem me ipse adscripsi. Enim-
uerò inconsultò faciunt homines, cum à teneris annis, nè gustatâ quidem lax-
ioris vitæ iucunditate, in hæc se comprimunt ergastula: Is me etiam error
incautum inuoluerat, sed explicui tandem me, neque facile in eisdem calles
concludi patiar.) Hæc desertor contumeliosus vomebat ore, quæ parens men-
dacij suggererat, ad noui militis animum Orci sui tenebris insulcandû: Quam
verò inani capiti, & vacuo dicenda ea commisisset cum peruenerunt Floren-
tiam, perfuga ipse detexit. Confestim enim inuolans in officinam, pileo nouo
ex holoserico coëmpto (decorus scilicet & elegans) per plateas gloriosus in-
greditur, reliqua pannosus & vilis, hospitemque suum salutans. "Præclarum,
inquit, est vnam saltem aliquam vestitus partem habere splendidam.)

XIII. Ita est: Vnum aliquid, atque id exile, incongruum, dissonum, sectan-
tur ij, qui abiectis sanctioris vitæ ornamentis soluti, videlicet, ambulant, at-
que per vitiorum deinde omnium sæcem præcipites vagantur. A quibus non
longè videbantur ab fuisse duo illi, veste quidem sanctimoniam, moribus ni-
hil sanctum præ se ferentes, qui cum die altero proficicentem assecuti, cum
de vitæ genere eligendo sermo incidisset, quâ potuere orationis grauitate di-
cam, an leuitate deflectere moliebantur ab sanctioribus consilijs, eam
quam ipsimet externo cultu profitebantur viuendi rationem dominantes, læ-
titiam,